



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Capvt I. (a) Clemens III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

fuisse perire non cogitur, l. si parentes 20. C. de evict. Donellus in l. si status, num. 2. C. eod. titulo; & tunc sumptus, & expensas litis emptor litiganti praebere tenetur, dicta l. 1. C. de evict. Nec obstat augmentum difficultatis, nam certum est, pacto caveri posse, ne venditor de evictione teneatur, dicta l. Herennius. Ratio est, nam quamvis ex natura contractus emptionis evictio competat, etiam si de ea nominatum non agatur, l. non dubitatur 6. C. hoc tit. tamen cum tale pactum sit de re privata, nec contra bonos mores debet observari, praecipue cum pactum hoc non detur circa substantialem, sed circa accidentalia, nisi venditor sciens eum dolo rem alienam vendat, l. en qua 43. l. ult. ff. de contrab. emptione, l. 1. §. ult. l. tenetur 6. §. ult. ff. de actionib. empti. Etiam non obstanti simili pacto tenetur venditor pretium refundere, & restituere, l. ex emptio 17. alias emptorem 12. §. ult. ff. de action. empti. Covar. dicto lib. 3. var. cap. 17. num. 2. Gonz. man de evict. q. 31. num. 15. Quaedam dicta q. 10. num. 6. Licet enim praedicta generali conventionepretium non sit exceptum, quia tamen in generali obligatione semper id, quod iniquum est, exceptum videtur, quasi de eo contrahentes non

tenferint, l. in omnibus, l. quotiens, ff. de reg. iur. recte superior conventio ita accepta est, ut contrahentes de pretio non reddendo non tenferint: si autem specialiter convenerit, ut pretium non restituatur, pactum sustinetur, quasi transfusa emptione in donationem, l. pacta 72. ff. de contrab. emptione. Nec obstat textus in l. qui liberatibus, ff. hoc titulo, ubi docetur, renunciatione evictionis facta venditorem ejus nomine nullo modo teneri. Nam omnis solutio relata a Covar. dicto cap. 17. num. 2. dicendum est juxta supra tradita, de evictione non teneri eo casu venditorem, pretium tamen refundere omnino compelli, ita ut in ea specie licet damna, interesse, & meliorationes non praestentur, pretium tamen semper restituatur. Nec mirum est, illud ab Scævola in eo textu specialiter expressum non fuisse, quia in eo textu, & sequentibus solum egit de casibus, in quibus venditor statuliberi ob celatam ejus conditionem, vel expressam deteriorem, aut meliorem, teneretur, vel non, de quo etiam agunt Consulti in l. fructus 46. §. cum tibi, l. qui alienam 54. §. 1. ff. de evict. l. si decem 10. ff. de statulib.

TITVLVS XVIII.

De locato & conducto.

CAPVT I.

(a) Clemens III.

EX rescripto litterarum pie recordationis (b) P. quondam Tusculan. Episcopi nobis innouit, quod cum civitatem Bon. tempore suae legationis intrasset, invenit fuisse ibi a bonae memoriae (c) Vv. quondam Portuen. Episcopo constitutum, & sub excommunicatione prohibitum, ne aliqui scholares hospitia majoris mercedis promissione conducerent, ut ea sibi, vel majoris gloriae studio, quasi potentiores in expensis apparere volentes, vel privatae utilitatis commodo vindicarent. Unde ipse sollicita provisione considerans, quod hujusmodi conductionis improbitas, & discordiae fomitem, & impedimenta non modica pareret studiorum praedictam (d) constitutionem legatio, qua fungebatur Sedis Apostolicae confirmavit perpetuis temporibus, sub poena decernens anathematis observandum, ut nullus Magistrorum, sive scholarium super conducendis aliorum hospitium in laesionem, vel praedictum habitantium, audeat hospitem convenire, nisi prius consiterit tempus conductionis elapsum, vel inquilini in hoc suum praestiterint favorem, & consensum. Quocirca nos, qui detestabiles versutias bonae fidei contractibus inimicas, non solum in clericis, sed etiam in quibuslibet mercatoribus condemnamus, praedictam constitutionem a praefato Portuen. Episcopo factam, & demum a jamdicto Episcopo Tusculano confirmatam, ratam esse decrevimus, & eam auctoritate Apostolica confirmamus, statuentes, ut a te, frater Episcope, & tuo quolibet successore singulis (e) annis in communi audientia Magistrorum, atque scholarium praesens pagina recitetur, & praetaxata prava conductionis improbitas, innovata excommunicationis sententia reprimatur. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam nostrae confirmationis infringere, &c.

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars I.

Ee

NOTÆ.

NOTÆ.

1. (a) **Clemens III.**] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. unico*, nullibi tamen exprimitur cui rescribat Clemens III. facile tamen ex textu serie cognoscitur rescribere Episcopo Bononiensi, Joanni videlicet Ecclesiæ Bononiensis Præfati. De ipsa Ecclesia nonnulla notavi in *cap. 17. de foro compet.*
- (b) **P.**] Petri videlicet Papiensis, qui ab Alexandro III. creatus fuit Episcopus Tusculanus anno 1178. ut refert Vghellius *tom. 1. Italia, in Tusculan. Ecclesia, num. 14.*
2. (c) **Pv.**] Vvillelmus videlicet Papiensis, ex ordine Cisterciensis monachus, Diaconus Cardinalis ab Hadriano IV. electus, postea Presbyter Cardinalis sancti Petri ad Vincula, demum Episcopus Cardinalis Portuensis, ac sanctæ Rufinæ ab Alexandro III. electus est anno 1176. Hic pluribus legationibus apud Fridericum Imperatorem functus est, & ab Alexandro III. missus in Galliam, Britanniamque, ut ea regna ad cultum veri Pontificis adduceret. Demum sub vitæ finem conventui Bononiæ habito, mox & Venetiis interfuit, ut suis consiliis toti Ecclesiæ pateret tranquillitatem, ut ex Sigeberto, Roderico Frisingensi, & Baronio refert Vghell. *tom. 1. Ital. sacr. in Portuensi Eccle. num. 31.*
3. (d) **Constitutionem.**] Legati enim possunt nova

statuta condere, & antiqua confirmare, ut præbavi in *cap. final. de offic. Legat.*

(e) **Singulis annis.**] Ultra trinam enim monitionem, quæ præcedere debet quancunque censuram ab homine ferendam, desideratur in præfenti generalis hæc denunciatio, ad subditos certiorandos de speciali hoc statuto, ut aliis relatis docuit D. Joseph. Vela *tom. 2. decis. Hispal. dissert. 44. num. 74.*

COMMENTARIUM.

Bononiensem Academiam magnis ditavit Popibus, & ornauerunt privilegiis Pontifices, & Imperatores, ut debitis laudibus studium illud extollentes referunt Vghel. *tom. 2. Italia, in Ecclesia Bonon.* Hieronymus Oforius, Papius Mason, & alii congesti à Patre Mendo *de jure Academico lib. 1. q. 2. num. 16.* inter quæ non exiguum est, quod refertur à Clemente in præfenti. Sed cum constitutio hæc localis sit, ut etiam aliæ relata in *cap. qui clerici 9. de foro compet. cap. final. de Mag. str. l. 1. §. ult. ff. de censibus*, specialemque contineat gratiam, generalem ex ea regulam deduci non debere, jam post alios docuit Anguianus *lib. 2. de legibus, cap. 17. num. 105.* Simili etiam privilegio studentes in florentissima nostra Academia Salmanticensi possunt, ut ejus Primarius Doctor Garanna in præfenti notavit.

CAPVT II.

Honorius III. Abbati, & Conventui Sancti (a) Petri de Pratellis, Lexov. diœcesis.

Vestra nobis relatio declaravit, quod cum ad (b) firmam dare consueveritis vestrarum fructus decimarum, diœcesani locorum statutum quoddam de hujusmodi decimis non locandis parochialibus presbyteris ediderunt, per quod utilitas vestra non modicum impeditur; quare super hoc Apostolicæ provisionis remedium imploratis. Nos igitur utilitates vestras nolentes indebitè impediri, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut statuto hujusmodi non (c) obstantem, vestrarum (d) decimarum proventus liberè locare possitis quibus vobis expedire videritis, & cum quibus Ecclesiæ conditionem poteritis facere meliorem; ita tamen ut hujusmodi locatio ad feudum, vel alienationem non valeat extendi.

NOTÆ.

1. (a) **Sancti Petri.**] Perperam textus hic in sexta collectione tribuitur Innocentio III. cum sit Honorii III. & reperitur in quinta compilatione, *sub hoc tit. cap. 1. apud Cironium*, ex quo ita eum transcribo. Male etiam in eadem sexta collectione habetur *de Pratel. London. diœcesis*, cum legendum sit, *de Pratellis Lexoviensis diœcesis*. Abbatia enim hæc Sancti Petri est Ordinis Divi Benedicti, in diœcesi Lexoviensi, sub honore Sancti Petri Apostoli constructa ab Hunfrido de Vetulis anno 1055. ut referunt Tamburinus in *serie Abbatiarum, verbo Lexoviensis*, Fratres Sarmat. *tom. 4. Gall. Christianæ, fol. 256.* Ejus etiam mentio fit in *cap. nostro, de penit. & remiss.* Raymundo ejus Abbati in præfenti rescribit Honorius.
2. (b) **Firmam.**] Hujus vocis mentio etiam reperitur

cap. 24. de decimis, cap. 7. de inrepatron. cap. 6. de Clerici, vel Monachi, Clement. *unic. de excess. Pralat.* eam tamen variè exponunt Interpretes. Cironius in *notis ad hunc textum*, existimat, hanc vocem esse Saxonicam, significareque mercedem quamlibet, sive consistat in frumento, & aliis redditibus, sive in pecunia numerata; quo casu firma alma dicitur in legibus Schotorum *lib. 2. cap. 41.* Cujacius *hic*, ad firmam dare explicat pro locare sub mercede, sive pensione certa, & firma. Alexander Chassaneus ait ad firmam locare, esse præstita fide pacifici in ipso contractu in continenti, ne ulli ex contractantibus liceat uti beneficio legis 34. C. hoc titulo; sed locatio omnino firma habeatur. Eo in sententia clericos firmarios dixit Vvillelmus Malmesburg. *de gest. Reg. Angl. lib. 4. ibi: Nullum clericum, nisi confidicum; nisi clericum, nisi (ut verbo parum Latino utar) firmarium.*

(c) Non